



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsqve Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

F.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

F.

Falsarius.

Falsare monetam, crimen est læsæ majestatis; falsa autem dicitur, facta sine legitima auctoritate, materia, aut pondere, aut signo; tondere autem extuberantem monetam, falsare non est, etsi peccatum est; est verò falsarius, qui justum pondus minuit.

De falsariis Lopez p. 2 c. 43. De eorum peccatis Navar. c. 17 à nu. 167 Falsa) Navar. l. c. n. 167. vid. Syl. falsarius. 7. 8. Peccatum) cum onere restituendi. Navar. l. c. nu. 278. Sylv. falsarius. n. 10. 11. Fu. 10.

Qui sciens falsis numis, ponderibus, scripturis utitur, mortiferè peccat cum onere restituendi. Nav. Lop. l. c.

Non licet amissæ scripturæ de hereditate aut nobilitate, aliam similem facere, etiamsi nulli fiat injuria; sicut neque licet convento super mortuo, quòd jam solverit, falsum solutionis instrumentum producere. Cou. lib. 1. var. resol. c. 2. n. 3.

Familia.

Familia dicitur usque ad quartum gradum, itaque omnes etiam gradus quarti, dicuntur familiares: itemque omnes famuli, etiam extra domum habitantes. Syl. Famil. 1. 2. vers. familiares.

Familia Episcopi gaudet privilegio fori, non autem familia Ecclesiæ, Abb. in c. nullus n. 6. de for. comp. Vid. c. si. de offic. Archid. Ang. Fam.

Festum.

Vide v. Decalogus.

Festum potest princeps, & civitas indicere; sed sine obligatione missam audiendi vid. Nav. c. 13. Tol. l. 4. c. 24.

Festum ab Episcopo indictum non obligat, si populus ex causa rationabili non acceptat vid. Armill. ver. Festum. n. 5. cum Pan Quod si receptum est, debent servare etiam religiosi exempti. Non potest autem ipse indicere sine clerici, aut Capituli consensu vid. c. conquestus de feriis.

Ad

Ad festa majorum voto, aut juramento recepta tenentur quidem populus; sed non sub obligatione voti, aut juramenti, est enim hæc personalis. Non potest Episcopus prohibere, alioquin in festo licita, causa necessitatis, aut pietatis, quod si sub excommunicatione prohibeat, nulla est excommunicatio, secundum Navar. c. 13. n. 15. Lopez l. 1. col. 5.

Excusat à festi observatione metus justus, necessitas, putras, utilitas publica, vitatio damni corporis, vel animæ, dispensatio Episcopi, vel parochi, ubi is solet dispensare, Vid. Nav. & Sylv.

Circa festi principium, & finem servanda est Ecclesiæ consuetudo, ubi autem à vespere incipit, excusantur barbitonfores, in vigilia laborantes, concessione Eugenii IV. secundum Nav.

Feudum, emphyteusis.

Vide v. *Alienatio.*

1. Emphyteusis est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium utile, sub certa pensione reali solvenda in recognitionem domini directi. Emphyteusis alia est perpetua, alia temporalis, alia Ecclesiastica, alia communis sive profana, alia nova, utpote quæ primo instituitur; alia est vetus & antiqua; alia denique est hereditaria, quæ concedi solet pro omnibus heredibus, quamvis extraneis; alia verò familiaris, quæ conceditur solum pro his qui sunt de familia. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 8. punct. 1. num. 1.

2. Feudum (à fide seu fidelitate sic dictum) est contractus, quo quis tradit feudatario, sive vasallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii & servitii personalis; & in hoc scilicet ratione pensionis differt feudum ab emphyteusis; nam quatenus pensio est personalis, id est, consistens in obsequio personali, dicitur feudum; quatenus verò pensio est realis, id est, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia re simili, dicitur emphyteusis. ib. n. 2. §. 3.

3. Jus commune hæc præscribit condiciones ad contractum emphyteuticum; nimirum ut contractus emphyteuticus celebretur per scripturam, nisi aliter receptum sit alicubi per contrariam consuetudinem; ut contractus fiat de rebus

bus immobilibus & frugiferis, & solo adhaerentibus, ut v. g. agris, domibus, pratis, &c. ut bona quae subjiciuntur emphyteusi, non sint bona Ecclesiae: ut dominium directum periret apud priorem dominum, dominium vero utile transferatur in emphyteutam, ut quotannis ab emphyteuta solvatur certa pensio, seu Canon consistens in pecunia, vel in fructibus; alioqui cadit ab emphyteusi, seu à tota re, nisi excusetur, eo quod purgaverit moram celeritate solutionis, aut nisi legitime impeditus fuerit: nam legitime impedito non currit tempus. Si vero nescivit rem esse emphyteuticam, restituendus est in integrum, etiam si major sit; quia par non est ut culpam subeat, qui culpam non admisit. Excusabitur similiter emphyteuta à solutione pensionis, si res emphyteutica pereat sine culpa emphyteutae. Imò expensae refarciendae sunt emphyteutae, modo sint expensae magni valoris, & emphyteuta non cadat propter suam culpam; modo melioramenta non sint superflua, & modo non fuerint facta à casu, seu à causis naturalibus absque expensis emphyteutae. *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Alia conditio ad contractum emphyteuticum requisita est, ut emphyteuta privari possit re accepta in emphyteusim, quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata, vel levi emphyteutae. Denique requiritur, ut quamvis emphyteuta possit rem emphyteuticam (modo non sit res Ecclesiae) oppignorare, vel permutare, vel hypothecare, vel donare, vel legare, vel tradere in solutionem quoad jus quod ipse habet; non tamen possit rem emphyteuticam, & ejus melioramenta per venditionem alteri tradere secundum jus utile quod ipse habet, aut locare ad decennium, seu tradere alteri in emphyteusim, seu libellum absque consensu domini directi, saltem implicito & praesumpto, vel non admonito domino directo, num ipse velit eodem pretio emere. *ibid. n. 23. & 24.*

5. Quando res emphyteutica transit ad alium emphyteutam per venditionem, vel donationem, vel permutationem, vel locationem decennalem, solvendum est à secundo emphyteuta laudemium, seu quinquagesima pars domino directo propter investituram, seu laborem quem dominus directus subit investiendo, seu mittendo novum emphyteutam in possessionem *ib. n. 25.*

6. Ad contractum feudi quatuor conditiones requiruntur;

tur; scilicet ut dominium directum perseveret apud priorem dominum; dominium vero utile transferatur in vassallum; ut feudum constituatur super re immobili, agro, pago, urbe, &c. ut vassallus non alienet feudum sine consensu domini directi, ad quem pertinet investire, & mittere in possessionem; alioquin vassallus cadit à feudo, quamvis alienando protestetur se alienare salvo & reservato consensu domini directi; nam protestatio est contraria facto, *ib. punct. §. 4. num. 1.*

7. Quæres, an bona Ecclesiastica possint tradi in emphyteusim, & in feudum seu libellum, aut alia ratione alienari. Respondetur, bona Ecclesiæ mobilia & pretiosa quæ servando servari non possunt, posse absque alia solemnitate vendi ab Episcopo, aut ab alio qui bonorum Ecclesiæ habeat administrationem: at bona Ecclesiæ immobilia, vel etiam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, non possunt validè alienari, nisi adsit justa causa à jure præscripta; qualis est necessitasurgens, pietas, ut ad redimendos captivos, utilitas evidens, & incommoditas, ut quando res est majoris sumptus, vel incommodi, quam fructus & reditus. *tom. 1. de alienatione bonorum Ecclesiast. disp. 2. quest. unic. punct. 2. n. 3. & punct. 3. n. 1.*

8. Valebitne alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Prelato qui credebatur subesse legitimam causam, sed re ipsa non erat legitima? Valebit, quamvis postea comperiat non fuisse legitimam *ib. n. 5.*

9. Ad validam autem alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatae immobilium requiritur unus tractatus, id est discussio, quæ fit alternis rationibus pro & contra. utrum expediat hujusmodi bona alienare, & post tractatum requiritur consensus expressus majoris partis Capituli, eorum scilicet qui sunt presentes. Præterea requiritur subscriptio in casibus, in quibus jus subscriptionem præscribit; & consensus Superioris, Episcopi videlicet respectu clericorum & monasteriorum non exemptorum; respectu vero exemptorum sufficit consensus majoris partis Capituli, & illius qui pleno jure est superior. Denique ut hujusmodi alienatio sit licita jure antiquo, requiritur facultas seu consensus Sedis Apostolicæ, qui ceusetur & præsumitur intercessisse ex lapsu triginta vel quadraginta annorum. Et hæc præscripta solemnitate contracti

alic-

alienationis bonorum Ecclesiæ celebratus, est invalidus, & res accepta sine prædicta solemnitate restituenda est, etiam cum fructibus locupio, ad quem ante alienationem pertinet, ut constat ex *Extravag. Ambitiosa Pauli II.* teneturq; emptor si mala fide emit ad damnorum restitutionem, cum censeatur injusta causa illorū. *ib. pu. 4. n. 1. 3. & seq. item n. 14. & 15.*

Alienantes vero bona Ecclesiæ, vel locorum piorum sine prædicta solemnitate, si fuerint Episcopi, vel Abbates, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; & si per sex menses permanserint in interdicto, iis elapsis remanent suspensi à regimine & administratione Ecclesiæ, vel monasterii cui præfunt in temporalibus & spiritualibus. Quod si fuerint inferiores Episcopis, vel Abbatibus, privantur ipso facto absque alia declaratione beneficio, vel officio, cujus bona præsumpserint alienare. *ib. punct. 1. n. 1. & punct. 5. n. 1.*

Præterea incurrunt excommunicationem non solum ipsi alienantes, verum etiam recipientes; modò secuta sit actualis traditio, seu alienatio, ut patet ex præfata *Extravag. Ambitiosa Pauli II. ib. punct. 5. n. 3.*

Ex his colligitur non posse sine prædicta solemnitate incidere arbores solo adhærentes, siue fructiferæ sint, siue etiam infructiferæ, cum hæc pretiosa bona reputentur; secus de vino, oleo, frumento, &c. cum hæc non censeantur pretiosa, quæ servando servari possunt. Hæc doctrina militat quoque pro permutatione bonorum Ecclesiæ facta absque prædicta solemnitate, etiam si facta sit inter Ecclesias. Item militat adhuc pro bonis Confraternitatis, vel Collegii, vel Congregationis, vel Hospitalis, aut Oratorii erecti & fundati auctoritate Episcopi; & pro bonis Commendarum, aut Juris patronatus Ecclesiastici. Nomine autem *bonorum* intellige etiam bona incorporalia, id est, jura, actiones, & servitutes, &c. *ib. punct. 2. n. 4. 7. 9. 10. 13. & 19.*

10. Sicut autem bona Ecclesiæ immobilia & pretiosa alienari non possunt absque prædicta solemnitate, ita neque tradi possunt in pignus, vel hypothecam; nam actus quo res traditur in pignus, vel hypothecam, venit etiam nomine *alienationis*. *ib. n. 23.*

11. Sed petes, an beneficiarius, aut Prælati possit repudiare legatum, vel hereditatem Ecclesiæ relictam, non servata hac solemnitate? Potest, quia per hanc repudiationem seu renuntiationem hereditatis nondum acceptatæ, non di-

dicitur præcisè alienare bona Ecclesiæ; peccat tamen contra iustitiam repudiando; cum ex officio teneatur consulere bono Ecclesiæ. *ib. n. 33.*

Fideiussio.

Vide v. *Asscuratio.*

1. Fideiussio, quæ significat fidem suam alteri jubere et dare, est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua illius adimpletionem, sequens illius defectum obligans; hinc fit ut fideiussor non teneatur ad plura, vel ad maiora, quàm teneatur principalis debitor pro quò jubet, & cuius personam gerit, & tenetur in illius defectum, etiam ante iudicis sententiam. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quest. 9. punct. 1. n. 1. & 2.*
2. Fideiussor qui se tantum obligaverat ad aliquod tempus, ex. gr. ad annum, remanet liber ab obligatione fideiussionis; postquam creditor prorogavit terminum debitori pro quo fideiussit. Idem dicendum si ille ad quem exhibendum & custodiendum se obligaverat, condemnatus fuit de aliquo crimine, aut fugit. *ib. n. 8. & 9.*
3. Fideiussor qui pro reo morte digno fideiussit, plene non est capite, reo fugiente; quia non præsumitur eum voluisse se ad hanc pœnam obligare; imò nec potuit, cum non sit dominus vitæ suæ. *ib. n. 10.*
4. Fideiussor potest agere contra debitorem, ut seipsum liberet à fideiussione, in his casibus, quando debitor venit ad inopiam, aut quando multo tempore fuit in mora solvendi postelapsum tempus constitutum ad solvendum; & quando fideiussor condemnatus fuit ad persolvendam fideiussionem. Item debitor tenetur resarcire damna quæ patitur fideiussor ob culpam debitoris non solventis debito termino. *ib. n. 11.*
5. Duplex est fideiussio, judicialis & privata. Judicialis fit in iudicio, ut quando quis fidei jubet ad constituendum reum sub pœna pecuniaria; quòd si non præstet, tenetur pœnam solvere: privata verò fideiussio est, quando quis se obligat in defectum principalis ad solvendum. *ib. n. 17.*
6. Ille potest fidei jubere, qui habet bona ad satisfaciendum in defectum principalis, modò habeat liberam illorum bonorum.

norum administrationem, qualem non habent pupilli, religiosi, & pauperes. Mulier nisi in aliquibus casibus fidejungere non potest. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

A D D I T I O.

Potest pro fidejussione aliquid pretii accipi, etiamsi nullum timeatur periculum, est enim ex se pretio æstimabilis. De fidejussore P. N. l. 3. c. q. d. n. 146. Garz. c. 38. Lopez. l. 2. de cont. c. 16. 17.

De usura, quæ contingere potest in fidejussione, Mol. d. 319. Sot. l. 6. q. art. 2. col. 10. P. N. l. v. cap. 2. num. 114. eadem est ratio de asscuratore, *ib. Syl. Fidejussor. n. 14. Con. lib. 5. var. res. c. 2. n. 6.*

Mutuare cum pacto, ut fidejussor sit pro mutuante, usura est. Mol. l. c.

De contractu asscurationis Garz. l. 6. de contractu, c. 39. Lopez l. c.

Fideicommissum.

Fideicommissio subjecta possunt alienari causa dotis, etiam post fideicommissum promissæ, & alimentorum.

Fides.

1. Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo revelatas propter ipsius auctoritatem. Fides est in intellectu tamquam in subjecto; illius objectum materiale sunt res à Deo revelatæ, formale verò est auctoritas divina. Ecclesia autem dicitur regula infallibiliter proponens res fidei credendas. Hinc collige magnam esse nostræ fidei certitudinem, cum fides infallibiliter Dei testimonio nitatur, qui non potest falsum revelare. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 2. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. In beatis non est fides, neque spes. Item neque in dæmonibus, vel damnatis, neque similiter in hæreticis; nam spes non potest esse sine fide, qua ipsi carent. *ib. n. 7. & seq.*

3. Non solum fides habitualis necessaria est ad salutem, verum etiam fides actualis, non solum necessitate medii, sed etiam præcepti; teneturque homo postquam ad rationis u-

R

sum

sum pervenit, actum fidei elicere. Item tenetur elicere per accidens, quando debet se ad Deum convertere; quamquam non tenetur omissionem hujus actus in confessione aperire. Item tenetur actus fidei elicere, dum extat periculum incidendi in aliquod peccatum, si actus fidei non eliciatur, & in articulo mortis. *ib. punct. 2. n. 4. & seq.*

4. Peres, quosnam articulos teneamur explicitè credere? Respond. singulos homines postquam ad rationis usum pervenerunt, teneri ex præcepto explicitè credere ea quæ continentur in Symbolo Apostolorum, & præcepta Decalogi. Item tenentur scire saltem quoad substantiam præcepta Ecclesiæ: orationem Deo faciendam esse pro necessitate corporis & animæ, extare obligationem subveniendi proximo, & similia. Eos autem quibus alios docendi, eosque ab errore avertendi cura incumbit, teneri explicitè nosse & credere non solum articulos fidei, verum etiam alios juxta suum gradum, seu statum & officium. Teneturque Confessarius aliquando poenitentem circa fidei articulos interrogare, & si minus peritum circa hujusmodi articulos reperit, debet illum rejicere, vel docere necessaria, antequam beneficium absolutionis impendat. *ib. n. 13. & seq.*

5. Homo tenetur aliquando ex præcepto affirmativo fidem exterius confiteri, videlicet quando alioquin magnus Dei honos subtraheretur, vel magna proximi utilitas impediretur, aut illi grave scandalum præberetur circa fidem; sed non quando iniquè, aut privata auctoritate interrogatur an sit Catholicus, aut Christianus; non poterit tamen respondere se non esse Christianum; at tenebitur confiteri se esse Christianum, quoties fides alioquin putaretur falsa, vel quando publica auctoritate interrogatur. *ib. punct. 3. num. 2. & seq.*

6. Non peccat qui dicit se non esse Christianum, dum Christiani nomen non accipitur pro religione; sed pro ipsa natione, aut vitio nationis. *ib. n. 5.*

7. Similiter non peccat contra præceptum fidei, qui habitum à Tyranno præceptum non gestat metu mortis; peccant tamen pastores fugiendo tempore persecutionis, alio idoneo non substituto. *ib. n. 8. & 9.*

8. Non est obligatio confitendi fidem, dum ex ipsius confessione sola perturbatio nascitur; secus dicendum dum per fidei confessionem infidelis inducitur ad fidem. Item tene-

mur confiteri, dum fidei confessione vitatur contemptus imaginum sacrarum, vel fidei. *ib. n. 11. & seq.*

9. Qui promoventur ad officium aliquod litterarium, seu artem litterariam, tenentur fidei professionem emittere; sicut & qui promoventur ad beneficia curata, vel ad Canonatus, aut dignitates in Ecclesia Cathedrali, nisi per ignorantiam, aut aliam justam causam excusentur. Nec refert quod hi sint exempti; nam adhuc tenentur per se, vel per procuratorem facere. *ib. n. 14. & 15.*

10. Semper tenemur ex præcepto negativo abstinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; quia præceptum negativum, quale est de non neganda fide, obligat semper & ad semper. idcirco peccat contra præceptum negativum fidei, qui se negat Christianum, dum hoc nomen pro religione accipitur; item qui dicit se Turcam, vel hæreticum, vel utitur signis protestativis falsæ religionis ex sua natura, etiamsi hoc faciat absque animo negandæ fidei; secus si utatur signis indifferentibus ex sua natura, ut si deferat vestes quibus Hebræi utuntur, aut in bello utatur insignis infidelium, aut animum protestandæ falsæ religionis. *ib. n. 16. & seq.*

11. Non peccat contra præceptum fidei negativum, qui concionibus hæreticorum, vel ceremoniis interest animo confutandi, aut observandi solum ipsorum cæremonias; non licet tamen illis interesse de mandato Principis hoc præcipientis in contemptum fidei, vel ad profitendam hæreticorum sectam. *ib. n. 21. & 22.*

Item non peccat contra præceptum fidei negativum, qui feria sexta, vel sabbato metu gravis mali vescitur carnibus; aut qui joco in comædiis fingit se infidelem; aut qui se negat Sacerdotem, vel clericum. *ib. n. 23. & seq.*

12. Quæres: quid facere possit vir Catholicus in locis infidelium, dum ibi commoratur occulta fide, ne occidatur, & ut possit Principibus Christianis referre quæ ibi aguntur? Respondendum non licere illis signis uti, quæ sunt falsæ fidei, seu falsæ sectæ ex se protestativa, etiamsi hæc signa non adhibeantur animo negandi fidem, sed liberè uti signis ex se indifferentibus tantum, id est, permittendum esse hujusmodi exploratori Catholico usum vestium, juxta regionis morem, esum carniæ, & alia signa indifferentia, non autem orationem, vel adorationem Mahometi, aut alterius idoli, non solum internam, verum neque externam; quam

quam externam in casu rarissimo permitti posse, nonnulli Doctores autumant. *ib. n. 26. 27. & 28.*

13 Non tenetur professionem fidei facere, qui semel eam fecit occasione Doctoratus, aut alia occasione intra bimestre quo beneficium obtinuit. Canonicus quoque, qui fidei professionem in Capitulo præfente Episcopo, aut Vicario fecit, non tenetur illam iterum coram Episcopo, aut Vicario facere. *ib. punct. 4 §. 1. n. 6. & seq.*

14. Coadjutor Parochi sine titulo beneficii, Capellanus, & Canonici collegiatarum, non tenentur intra bimestre professionem facere, licet postea teneantur in prima Synodo diœcesana, cui post adeptum beneficium interfunt. *ibid. n. 9.*

15. Qui fidei professionem iatra bimestre non fecit, privatur fructibus; non tamen privatur distributionibus, modo beneficium reddat fructus & distributiones: imò neque privatur fructibus ante sententiam. Adde privari posse, etiam in triennio fructus bona fide possederit. *ib. §. 3. n. 1. & seq.*

16. Qui fidei professionem intra bimestre non fecit, privandus solum videtur fructibus respondentibus tempori post bimestre: neque subicitur his pœnis qui beneficii possessionem nondum adeptus est. *ib. n. 5. & 6.*

17 Licitum est clericis & religiosis de rebus fidei disputare, modò docti sint, sed non laicis, etiam doctis: his enim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis. Limita tamen hanc prohibitionem, modò non extet consuetudo in contrarium; intellige eandem prohibitionem de disputatione formali, non verò de illa, quæ causa exercitii suscipitur, ut contingit in circulis & scholis. *ib. punct. 5. n. 1. & seq.*

18. Non licet communicare cum infidelibus, quoties ex eorum communicatione periculum imminet perversionis. Specialiter autem vetitum est fidelibus participare cum Judæis cohabitando, comedendo azyma, advocando ipsos ad medendum, & recipiendo medicinas ab ipsis, ingrediendo idem balneum, incundo convivium cum ipsis, nutriendo eorum filios, accedendo ad eorum nuptias aut choreas cum ipsis ducendo; denique admittendo illos ad publica officia, vel ad Missæ sacrificium, vel contrahendo cum ipsis matrimonium. *ib. punct. 6. n. 1. & 2.*

19. Tres sunt species infidelitatis, videlicet paganismus, Judaismus, & hæresis; & hæc differunt inter se specie; propterea exprimendum est genus seu species infidelitatis in confessione. *ib. punct. 7 n. 1. & seq.*

20. Infideles baptizati, nempe hæretici cogi possunt pœna mortis, vel excommunicationis ad fidem suscipiendam & retinendam, qui sunt subditi Ecclesiæ. Secus dicendum de infideli non baptizato; non enim potest cogi per metum ad fidem suscipiendam; quamquam infideles subditi cogi possunt ad deserendam idololatriam, & ad audiendum Evangelium; secus dicendum est de infidelibus non subditis, licet etiam isti compelli possunt ad vitam mitiorem, si more belliciarum vivant. *ib. punct. 8 n. 1. & seq.*

21. Ritus infidelium licitè permittuntur justa subsistente causa; sicut etiam & eorum libri, qui nostræ fidei non adversantur. *ib. n. 4. & 5.*

22. Religionis libertas nulla ratione permitti, aut de ea permittenda conveniri potest, nisi aliud postulet commune Catholicæ religionis bonum; & Princeps non tenetur stare promissioni & pacto de permittenda libertate religionis, dum eam sine graviore damno religionis impedire potest; aut dum conatum ad eam impediendam utilem fore sperat; quia promissio de re illicita & turpi non obligat; quamquam non desunt Doctores contrarium sentientes. *ib. §. 1.*

23. Fœdus, promissio, seu contractus validè celebratus cum hæreticis, per se loquendo servandus est; quia sicut non licet mentiri illi qui cum hæretico loquitur; ita neque licet recedere à promissione hæretico facta; consequenter servanda est hæreticis fides in salvo conductu. Item in bello quoque in causa civili contra hæreticos per se loquendo servanda est fides, quia huiusmodi promissio est de re licita. *ib. n. 2.*

A D D I T I O.

Necesse esse explicitè credere fidèi mysteria, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, sentiunt multi cum D. Thom. alii excusari multos ignorantia ab explicita cognitione Trinitatis & Incarnationis, præsertim cum deest qui doceat.

Prohibitum laico, sub excommunicationis ferendæ pœna, disputare de fide, *2, 1, lib. 6. de Hæret.* quam prohibitionem

si sciens contra faciat, peccat mortaliter. Syl. *disp.* n. 2.

Fidem tenetur quis etiam cum periculo vitæ, coram in-
delityranno confiteri, cum id postulat Dei honor, aut pro-
mi salus, aut alioqui scandalum sequitur. Vid. Tol. *l.* 3. *c.* 17.
n. 2. Syl. *Fides* n. 8.

Fidei professionem publicè facere debent assumpti ad de-
guitatem in Cathedrali, vel canonicatum, vel ad curam pa-
marum & etiam religiosorum, & magistrum. Conc. Trid. *sess.*
c. 12. *de refor.* & Pius V.

Quod ni faciant intra duos menses, à die captæ possessio-
nis, non faciunt fructus suos, nec illis suffragatur possessio.
Trid. Conc. *sess.* 24. *de reform.* Elapsis quoque duobus mensi-
bus, adhuc tenentur eam facere. Nav. *cons.* 4. *de sum. Trin.*

Filiusfamilias.

Vide v. *Furtum, Restitutio.*

A D D I T I O.

Filiusfamilias dicitur, qui est in potestate patris, aut avi,
vel proavi, &c.

Legitimus filius dicitur, qui lege probatus, vel adoptatus.

Legitimus naturalis, qui ex legitimo matrimonio.

Naturalis, qui ex copula, nec approbata, nec reprobatâ
jure Civili.

Spurius qui ex reprobatâ, ut ex consanguinea, aut adul-
tera, aut vulgo conceptus, qui patrem non potest monstrare,
vel ex religioso, aut clerico in sacris. Qui autem est ex soluta
& conjugato, non dicitur spurius.

Expositus, si facta diligentia nihil reperitur, præsumitur
legitimus; in dubio autem dicunt quidam, posse Episcopum
dispensare, scil. quantum ad Ecclesiasticam. Vid. Maiol. *de irregul.* *l.* 1. *c.* 11. Vival. *de irregul.* n. 120. Episcopum) Covarr. *de elem.* *si furiosus.* 1 p. n. 9. Vival. *l. c.*

Filium aliquem esse probat sola fama, nisi contrarium
constet. Fam. *vers. filius.* n. 17.

Filiorum nomine non veniunt nepotes in materia odio-
sa; veniunt autem naturales (non autem spurii) cum tracta-
tur de utilitate, aut eadem ratio est, quæ de legitimis. Vid.
Mol. n. 220. *col.* 9.

Filius potest accusare patrem de hæresi, vel prodicione.
Vid. Mol. d. 176. col. 12 Tol. l. c. cap. 1. n. 10 vide Ales 3. p. 9. 33.
in 4. art. Navar. cap. 14 n. 12.

Filius in ætate imperfecta datur parenti fideli, in perfecta autem sequitur ipse utrum parentum maluerit.

Fiscus.

1. Ea bona pertinent ad fiscum, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo bona ipsius publicantur, modo non sint bona affixa personæ: fiscus enim secuta publicatione succedit in jura (& usufructus, quando id non vetatur) delinquentis. Unde sequitur publicatis bonis alicujus, censei publicata omnia bona mobilia & immobiliã, item actiones, jura, & res censui subjectas; imò ea quæ reo debentur ex contractu celebrato sub conditione, pertinent ad fiscum, secuta conditione, siue ipse fiscus adimpleverit conditionem, siue reus; secus dicendum de bonis futuris, aut quæ post condemnationem reo obveniunt ex ultima voluntate; ut ex legato testamento, vel fideicommissio. Item hereditas quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen, non devolvitur ad fiscum, si criminosus non adierat hereditatem ante publicationem bonorum, imò criminosus potest in tali casu eam in fraudem fisci repudiare, si non sit debitor fisci, aut si eam tacite non acceptaverit; sed non potest illam cedere in favorem alterius *to. 2. de Contract. disp. 3. q. 8. p. ult. § 1 n. 1. & seq.*

2. Publicatis bonis patris criminosi, videtur aliquid reservandum pro alimentis & legitima filiorum, quia par non est ut filii tantum damni patiantur ob parentis delictum: excipit tamen delictum hæresis & læsæ majestatis, in quo propter criminis atrocitatem, filiis delinquentis parentis nihil reservatur, ita exigente bono communi, ut homines ab hujusmodi criminibus arceantur. *ib. n. 15.*

3. Quæres, quænam bona censeantur publicata, quando publicantur bona uxoris criminosæ? Mortuo viro censentur publicata omnia bona dotalia, paraphernalia, & alia quæ ad ipsam uxorem pertinent. Dicitur *mortuo viro*: nam vivente viro, dos non confiscatur, exceptis his casibus: videlicet crimine læsæ majestatis, violentiæ, parricidii, & homicidii. *ib. n. 17.*

4. Bona majoratum, seu bona primogenitorum, quæ

R 4

ali-

alicui relicta sunt, non publicantur ob ipsius delictum, con-
solùm quoad dominium, sed neque quoad usumfructum,
illorum bonorum alienatio expresse prohibita est. Excipitur
tamen crimen hæresis & læsæ majestatis divinæ vel huma-
næ; nam ob hujusmodi crimen bona primogenitorum vendi-
cantur à fisco. *ib. n. 20.*

5. Quælibet alienatio facta à delinquente, cui ob deli-
ctum non est interdicta bonorum administratio, & cujus bo-
na non publicantur ipso jure, valida est, modo non sit facta
in fraudem fisci, aut post sententiam. Quod si alienatio facta
sit in fraudem fisci; potest fiscus eam revocare post senten-
tiam, non solùm quoad rem ipsam, verùm etiam quoad fru-
ctus pendentes, qui censentur pars fundi, seu rei quæ confis-
catur *ib. §. 2. n. 1. & seq.*

6. Delinquens qui commisit aliquod delictum, propter
quod bona ipso facto publicantur, & bonorum administratio
interdicitur, graviter peccat, non solùm si alienet bona post
sententiam declaratoriam, cum dicatur alienare bona aliena,
verùm etiam quoties alienat ante sententiam cum peri-
culo gravis damni alterius; ut accidit quando alienat con-
tractu oneroso absque necessitate, non admonito accipien-
te de periculo. *ib. §. 3. n. 4.*

7. Ille cujus bona sunt ipso facto addicta fisco, non tene-
tur ante judicis sententiam restituere bona fisco; non enim
leges humanæ obligant cum tanto incommodo ad pœnam
propria actione subeundam. *ib. n. 5.*

8. Publicatis bonis criminosis, fiscus debet satisfacere de-
bitis contractis ante delictum à criminoso: quod si non om-
nia bona publicentur, sed tantummodo in partem, fiscus te-
netur satisfacere creditoribus ad ratam illius partis quæ
publicatur *ib. §. 4. n. 1.*

9. Is, cujus omnia bona confiscantur, non tenetur restituere
creditoribus, si fiscus non satisfaciat, etiam si criminosis
aliunde acquirat bona, & ad pinguiorem redeat fortunam;
modò bona quæ confiscantur, sint sufficientia ad persolven-
da debita, & modò delinquens ex privilegio Principis rur-
sus non obtineat eadem bona, aut partem. Ratio est, quia
criminosis per confiscationem liberatur ab obligatione erga
debitores, & tota obligatio transmittitur ad fiscum. Dici-
tur, *aut partem*, quia si aliquota pars bonorum restituatur,
tenetur pro rata partis redditæ creditoribus satisfacere. *ib.*

Femina.

Femina non potest publicè prædicare, nisi ex Papæ licentia, *cap. nono, de pœnit. & remiss. 33. distinct. mulier.* in capitulo & claustris potest. *Cajet. vers. mulier Sylv. l. c.*

Nec uti habitu virili, etiam ob continentiam, vid. *Concil. Congreg. c. 13.* Interdum tamen, ob honestam delectationem potest uti *Nav. c. 23. n. 23, ex D. Thom.*

Nec esse testis in testamento solemniter extra terras Ecclesiæ, (ubi verò solemnitas non requiritur, ut tempore pestis, potest) nec in causa criminali nisi hæresis, aut læsæ majestatis, aut simoniarum, aut cum aliter veritas sciri non potest, aut cum proceditur via inquisitionis, vid. *Syl. testis nu. 1. ad pias causas admittitur, Cov. c. relatum 1. nu. 5. de testam. & in criminalibus jure civili, in contractibus, & aliis actibus. Cov. l. c.*

Nec pro debito incarcerari, nec cogi accusare, aut testificari, nisi in certis casibus, ut in causa criminali, vid. *Syl. femina, n. 3. Covar. l. c. 1. var. respo. n. 3.*

Fornicatio simplex.

1. Fornicatio simplex est concubitus soluti (id est liberi à conjugio à voto, ab ordine sacro, à religione, à cognatione) cum soluta, estque peccatum mortale, & consequenter nunquam licita, *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quest. 4. punct. 14. num. 2. & 3.*

2. Licitum est Principibus permittere meretrices in aliquo loco civitatis, ut vitentur majora mala: excusanturque à mortali locantes domos meretricibus ad habitandum, non tamen ad meretricandum; vitandum tamen est proximi scandalum & damnum. Similiter excusantur famuli comitantes herum euntem ad meretricem, aut comitantes concubinam, aut deferentes literas, si ab hujusmodi comitatu desistere nequeant absque gravi damno. Idem dicendum de auriga indifferenter meretricem deferente, quamvis sciat ipsam malè suo corpore usuram. *ibid. num. 4. & seq.*

3. Concubinatus est frequens & consueta fornicatio cum eadem persona. Concubinæ quæ leguntur in sacris litteris, fuerunt veræ uxores, ideò concubinæ dictæ, quod sine publica solemnitate & ritu consueto ducebantur, permissum-

que fuit Hebræis duas uxores simul ducere, unam solemniter alteram absque solemniter ritu. *ibid. num. 8. & seq.*

4. Qui domi retinet concubinam, seu ancillam, cum ea peccare solet, non est absolvendus nisi eam dimittat: ex illa enim in occasione proxima peccandi. Excipe tamen eum qui raro cum ea peccat, & sperat fore ut non amplius relabatur, & etiam filium familias, qui de domo patris non expellit concubinam; vel aliam, modo habeat firmum propositum non peccandi amplius in futurum. Adde præterea non cogi Confessarium ad denegandam absolutionem adolentescenti qui sæpius in molliem incidit ex carnis fragilitate, quantum in se est, non remanet in occasione proxima peccandi *ibid. n. 11. & seq.*

7. Artifex qui fraudibus utitur in arte sua, quam rationabili de causa non potest deserere: & fornicator qui modo cum una, modo cum alia congregitur, potest absolvi, si eliciat dolorem de peccatis præteritis, & promittat cum Dei auxilio emendationem in futurum. *ibid. n. 15. & 16.*

6. Concubinarij seculares possunt ab ordinariis locorum puniri & excommunicari post trinam admonitionem, ita Trident. *sess. 24. cap. 8.* & mulieres concubinarie eiici extra oppidum, vel diocesim; presbyteri verò notorii concubinarij suspendendi sunt ab Episcopis. *ibid. n. 18 & 19.*

A D D I T I O.

Solutus dicitur, qui est liber à conjugio, voto, ordine sacro, religione, id est, qui in nullo est statu: Fitque fornicatio, vel cum vaga, & incerta, vel cum certa, & domi retenta, & dicitur concubinatus. Et nota fornicationem utramque esse mortale peccatum, quia pugnat cum humana, divina & naturali lege, imò hæreticus habendus esset, si quis fornicationem simplicem diceret non esse peccatum. Et habetur in *clem. ad nostram, tit. de hæret.* Et D. Paulus, Omnis fornicator. Et quidem concubinatus gravissimum est peccatum mortale, quia concubinarij versantur in statu perpetuo peccati mortalis. Nota 3. aliquando contingere in vago concubitu, ut non peccetur, idque duobus casibus, 1. in femina quæ violenter opprimitur, illa enim non peccat, ac venialiter quidem, si non consentiat. 2. in ebrio, qui non prævidit periculum fornicationis. Hinc Loth periclitatur. Hæc Bursæus.

Forni-

Fornicans post divortii sententiam non tenetur admittere alterum conjugem à se dimissum, donec per Ecclesiam compellatur. *Filliuc. tract. 10. de sacr. matrim. c. 10. de divore.*

Quæres: An possit dari ignorantia invincibilis de fornicatione. Resp. posse dari, saltem apud certas gentes destitutas Doctoribus, & scientia rerum moralium Non enim apud Christianos, probabile est, posse dari talem ignorantiam, ut sentit Azor. *tom. 1. lib. 1. cap. 13. q. 1. & tom. 3. lib. 3. c. 4. q. 1. & tenent Aug. Sylv. Navar. ab eo citati. Filliuc. tract. 30. in 6. præc. Dec. c. 3. pag. 389.*

Furtum.

Vide v. *Restitutio, Sacrilegium.*

1. Furtum est occulta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito; rapina verò est propriè ablatio rei alienæ per violentiam. Tam furtum quàm rapina sunt peccata moralia ex suo genere: fieri tamen potest furtum veniale ratione indeliberationis, parvitatæ materiæ, & quando dominus non est invitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solum quoad modum, ut accidit quando dominus, v. g. pater agrè fert rem quæ auferitur à filio, non peti vel accipi ad ludum. Illa autem quantitas est sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ omnibus consideratis infert domino grave damnum, vel notabili privat utilitate, habita ratione personarum, in ordine ad quas metienda est gravitas & levitas furti; nam respectu personarum illustrium nummus aureus ut minimum est materia notabilis & sufficiens ad peccatum mortale; respectu communium divitum, quatuor regales circiter sunt materia notabilis sufficiens ad peccatum mortale; respectu sustentantium se suo artificio & opera duo regales circiter sunt materia sufficiens ad peccatum mortale furti; respectu denique mendicantium unus regalis vel dimidius est materia sufficiens ad peccatum mortale: nam unus regalis potest illis inservire pro victu unius aut duorum dierum. *tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quæst. 8. punct. 1. n. 1. & seq.* Circa prædicta

1. Adverte non eandem quantitatem sufficere, sed majorem requiri, quando à pluribus aliquid auferitur quàm quando

quando ab eodem, vel quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm quando simul, vel quando longo tempore, quàm quando eodem vel breviori tempore; & parvitatem materię variari pro varietate conditionis, & eandem rem uno tempore non sufficere ad mortale, alio verò tempore vel alio loco sufficere, quia una & eadem res magis assumatur uno modo quàm alio, *ibid. nu 9 & 10.*

3. Qui furatur minima animo furandi successivè majora, peccat mortaliter, ejusdem enim malitię est velle surripere, cujus est surripere, imò qui sæpiùs minima furatur etiam absque animo surripiendi majora, peccat adhuc mortaliter, quando pervenit ad tantam quantitatem quę continuata moraliter cum præcedente est notabilis. *ib. punct. 2. n. 1. & seq.*

4. Estne peccatum mortale quando plures scienter auferunt ab eodem rem levem respectu singulorum, quę simul sumpta est notabilis; si collectivè sumatur respectu omnium. Est peccatum mortale obligans ad restitutionem *ibid. nu 6.*

5. Non licet in gravi necessitate aliquid surripere, quia in hujusmodi necessitate res est aliena, cum sola necessitas extrema faciat rem communem; unde laborans gravi necessitate, peccat mortaliter aliquid surripiendo in notabili quantitate, & tenetur ad restitutionem. *ibid. punct. 3. num. 5. & 6.*

Restitutio ob defraudata vectigalia: ob furtum filialis, uxoris, &c.

6. Fraudantes vectigalia justa, id est, legitima auctoritate & causa cum debita proportione, pro mercibus imposita, peccant contra justitiam, etiam exteri, & tenentur ad restitutionem; secus dicendum defraudantibus vectigalia pro insualibus imposita. Imò quando vectigal justè imponitur, subditus tenetur sponte aperire & manifestare quę advehit. Et si dubitatur negativè de justitia illius, adhuc præsumendum est in favorem Superioris, seu Principis. *ibid. q. 9. punct. 1. n. 3. & seq.*

7. Cessante causa ob quam fuerunt imposita vectigalia, cessat obligatio ea solvendi, si nihil amplius aliunde urgeat. *ibid. num 8.*

8. Creditor Principis qui ab eo solutionem obtinere non potest potest fraudate vectigalia in compensationem. Hac doctrina.

doctrina valet etiam in censibus, decimis, & aliis juribus elocatis alteri. *ibid. num. 12.*

9. Non solum clerici maioribus ordinibus insigniti, verum etiam initiati minoribus, aut prima tonsura, (saltem si incedant cum habitu & tonsura clericali, & inserviant divinis, aut habeant beneficium Ecclesiasticum) immunes sunt ab obligatione vectigalium, tributorum, & aliorum onerum, modo tamen non negotientur, & non assumpserint habitum clericalem in fraudem vectigalium: neque cogi possunt clerici ad hospitandos milites, vel ad solvendum vectigal illius rei quam propria industria effecerunt meliorem. *ibid. punct. 2. n. 1. 2. 5. & 6.*

10. Adverte bona patrimonialia, ad quorum titulum clericus promotus est ad ordines, gaudere quoque immunitate; consequenter ex ipsis exigi non posse tributa, seclusis particularibus privilegiis à Sede Apostolica indultis. *ibidem num. 12.*

11. Filius qui notabilem summam accepit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usumfructum, tenetur restitutionem facere ex re ablata, si extat: si verò non extat, tenetur ex aliis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus si habet; si non habet, tenebitur in partitione hereditatis cum fratribus computare quod surripuit, in suam partem, nisi forte constet alios fratres tantumdem expendisse, vel partem condonasse, aut verosimiliter credatur patrem condonaturum: tunc enim pater non videtur invitus circa substantiam acceptionis, sed solum circa modum, cum displiceat illi modus accipiendi occultè. *ibid. quest. 10 punct. 1 n. 4.*

12. Similiter uxor accipiens notabilem quantitatem ex bonis mariti, vel ex bonis quorum maritus habet administrationem & usumfructum, peccat mortaliter peccato furti, & tenetur ad restitutionem, si hoc faciat absque expresso, vel præsumpto mariti consensu, aut conditione. Potest tamen uxor invito marito capere, aut donare bona paraphernalia, illaque pro suo libito detrahere; cum sint ipsius propria quoad dominium. Potest etiam ludere & pecuniam accipere ad ludendum, dandum pauperibus intra limites, & decentiam sui status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facile concederet. *ibid. punct. 2. num. 2. & seq.*

13. Item potest uxor accipere etiam invito marito pro necessa-

necessa-

necessariis sibi & familiæ, ut pro veste, victu, medicamentis, & ut subveniat patri, matri, vel filiis suis ex prioris matrimonii susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habent unde illis subvenire queat. *ibid. n. 9 & 10.*

14 Religiosus peccat mortaliter peccato furti, si post votum paupertatis factum in approbata religione usurpet sibi in notabili quantitate, seu ea quæ sufficit ad peccatum mortale furti contra septimum præceptum, res non necessarias, nisi fortè Superior sit irrationabiliter invitus, & necessarium non suppeditet: nam tunc religiosus habet jus sibi succurrendi ita distante jure naturæ. *ibid. punct. 3 n. 2 & 3.*

15. Servus quoque peccat mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo domino, & si et contractu servire debeat usque ad certum tempus, peccat adhuc mortaliter contra justitiam fugiendo absque causa rationabili; causa autem rationabilis est, quando dominus est nimis austerus, vel non docet ea quæ docere debet, & non observat pacta; quia frangenti fidem, fides frangenda est ei. *ibid. punct. ult. n. 1. & 2.*

ADDITIO.

Si accepisti, quod dubitas, an tuum esset, debere te restituere, quidam ajunt, quidam negant, quod in dubio, melior conditio possidentis, quæ opinio locum non habet, quando res jam erat in alterius possessione. *Navar. l. c. n. 177.*

Qui damnum nullum dedit, rem alienam accipiens, quia ea dominus non utebatur, non tenetur restituere, si nulli est domino usui futura.

Ex monte alieno ligna tollens, aut necessitate urgente, aut parum damni dando, non tenetur restituere. *Tol. l. s. cap. 20. n. 2. ex Sot. Lege Molin. d. 58.*

Qui per vim rapuit, tenetur etiam pro injuria satisfacere. *Nav. l. c. n. 95. D. Thom.*

Si oblatam rem à fure domino, is noluit accipere, ei perit, si sine furis culpa petit. *Syl. furtum 16.*

Acceptum à fure contractu oneroso, sufficit ei restituere, aut cui ille voluerit, etsi quidam velint, debere domino proprio restitui. Sufficit ei (*Sylv. Restit. 3. q. 5. Halensis. 4. p. q. 86. n. 3. Victor. citat. à Salon. l. c. art. 5. contr. 1. putante, sententiam hanc probabiliorē* *Tolet. l. c. c. 18. in fin.* Etsi quidam, *Corvar.*

var. *reg. peccatum* 3. p. n. 3. Joan. Medin. *C. de restit. q. 10.* citari
à Solon. distinguant. *l. c.*

Quæres: Num liceat furem occidere in defensione pro-
prietarum rerum. Resp. 1. Ecclesiasticis non licere, quia est
contra can. 2 etiam non licere laico, quando potest aliter
furtum recuperari, aut fur vivus comprehendi: licet autem,
quando aliter tueri bona non potest, maxime si sint alicujus
momenti. Nota, laico licere illum terrere, & repellere à fur-
to, extracto gladio, si autem tum se defendat, licet occidere,
tamquam vitæ defenforem.

Quæres: An qui emerit rem furtivam, postquam rescivi-
verit, rem esse furto ablatam, possit restituere venditori, ut
recuperet pretium suum, Sor. & Med. dicunt, quòd debeat
restituere domino, sed probabilius Sylv. Nav. Gab. Aug. di-
cunt, posse restitui venditori, Rat. quia quisque sibi potius,
quàm alteri debet consulere. Si objicias, eum cooperari fu-
ri, in re aliena, maxime si sciat, eum non redditurum. Resp.
Illius culpa id non accidere, sed furis, & satis est, si pretio re-
cepto, furem de restituendo admoneat. Resp. eum qui rem
alienam bona fide consumpsit, vel bona fide alteri vendidit,
nihil debere restituere, nisi fortè, in quo factus est ditior.
Resp. 3. Eum, qui mala fide habet rem alienam, ut qui acci-
pit illam scienter à fure, debere restituere, etsi eam con-
sumpserit, nec ditior inde factus. Rat. Quia ille verè est par-
ticeps furti. ergò, Busæus.

Restitutio propter homicidium.

Vide v. *Homicidium.*

G.

Gabella.

Gabellam potest imponere, qui superiorem non habet
in temporalibus, & cui ipse id concesserit, vel consue-
tudo præscripta. Syl. *gabella* 3. à n. 1. Val. t. 3. d. 5. q. 6. p. 5. col.
pen. Lopez p. 2. c. 36. Tol. l. 3. c. 73.

Potest Episcopus in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis,
cum Capituli consensu, ex causa tributum, seu pensionem
imponere.

Potest,